



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Confessionale, || In Qvo || Vniversa || Materia De ||
Confessione Pec-||catorvm Apvd Catholicos || vsitata per
Quæstiones explicatur**

Eisengrein, Martin

Ingolstadii, 1577

VD16 E 795

X. Vtrùm sit de necessitate salutis, Sacerdotibus confiteri.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30362

Caput I. De Necessitate

vt Glossa illic habet, Sacerdotes retinere peccata, non est, censuram aliquam, aut sententiam ferre, ad ea retinendum; sed est, Sacerdotes ea non remittere: Ita, vt retinere opponatur ei, quod est remittere. Iam consecutio videtur aperta, Christus illic loquitur ad Sacerdotes de peccatoribus, dicens: Peccata, quæ vos peccatoribus remisistis, ego remittam: Quæ autem vos non remisistis, nec ego remittam.

Cum autem necessarium sit peccatori, ad ipsius salutem, vt D E V S illi peccata remittat; hoc verò non faciat, nisi per Sacerdotes: A Sacerdote autem remitti non possint, nisi peccata eidem innotescant: Innotescere illi non possunt, nisi ipse peccator, qui sui conscius est, ea Sacerdoti detegat. Igitur à primo ad vltimum, necessarium est peccatori, peccata sua Sacerdoti detegere. Hæc consecutio procedit, etiam seclusa omni iuris humani dispositione. Superest ergo, quòd obligatio & necessitas vocaliter confitendi Sacerdoti, sit de iure Diuino.

Questio X. Estne de necessitate salutis, Sacerdotibus confiteri?

Responso. **V**Ocalis Confessio, dubio procul, de necessitate salutis est, ideoque Concilium Conc. Tri-
dē. sess. 14. Tridentinum, id, hoc Canone confirmavit:
can. 6. Si quis negauerit Confessionem Sacramentalem, vel institutam, vel ad salutem necessariam

fariã non esse de iure Diuino: Anathema sit.

Præterea, antequam Concilium illud indiceretur, erat Confessio à Christo non solum instituta, sed nobis sub præcepto tradita; modò autem de necessitate salutis est, Christi præcepta seruare.

Ad hæc, etiam necessarium est ad salutem id, sine quo peccata à D E O non remittuntur: Huiusmodi autem est Confessio Sacramentalis. Igitur absque salutis periculo prætermitti non debet.

Cùm Christus in Euangelio Decalogi quidem, nullibi autem Sacramentalis Confessionis mentionẽ faciat; quomodò tanquam necessaria ad salutem requiritur?

*Questio
XI.*

SI Confessio peccatorum propterea non esset necessaria ad salutem, quòd nulla eius in Decalogo mentio fiat; eodẽ modo probari posset, non esse de necessitate salutis, fidem, nec Baptismum, nec aliud Sacramentum; imò nec pœnitentiam cordis: Cùm de his in Decalogo expressã mentio non fiat; sicut nec de vocali Confessione. Ided dicendum, non opus esse, omnia, quæ de necessitate salutis sunt, in Decalogo expressè contineri. Nec ided dixit Christus: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata; quia velit so-

Responsio.

Matt. 19.